

Pulvis aduersus Rabiam Caninam Specificus.

Vid. Philosoph. Transact. n. 474.

℞. Mosch. opt. gr. xvj.

Cinabar. nativ.

factit. ana gr. xxiv.

M. terantur in pollinem inpalabilem.

S. Capiat ex cyatho liquoris Arrak dicti, aut spiritus vini vulgaris.

Nota: Cinabari nonnulli Cochinelam substituunt, quam tamen a Sinensibus unquam ad usus medicos adhiberi non constat. Possset forte & ipsa Cinabaris omitti virtute remedii illibata. Sed aliud suadet canon (34), dum experientia docuerit, inuisilem esse.

De

Bolo.

137. **B**OLUS est Medicamentum internum, molle, cohaerens, melle paullo spissius, buccellae quantitate definitum: unde & *Buccella* quibusdam audit.

138. MATERIAM ei (137.) praebet, quidquid interno usui aptum, vel ex se, vel permixtione aliorum, consistentiae dictae capax est. Quare huc recipi possunt

α. Sicca omnia, minore dosi efficacia, Pulveri constituendo idonea (120. 121.). Vocantur haec *Excipienda*, & sola inepta sunt.

β. Mol-

β . Mollia, magis minusve spissa: Conservae, Electaria, Extracta mollia, Rob, Pulpae, Confectiones molles, Balsama densiora, nativa, arte facta, Unguenta potabilia, Syrupi, &c. *Excipientia* haec audiunt; quia prioribus (α .) mista Boli formam (137.) constituunt: quin & eorum aliqua hanc ipsam ex se habent.

γ . Liquida contractiora: uti Balsama liquida, nativa, artefacta, Olea, Spiritus, Tincturae, Essentiae, Elixir, &c. Haec itidem ex se inepta vel *Excipiuntur* aliis, vel haec *Excipiunt* tanquam accessoria.

139. DELECTUM Materiae (138.) limitant frequentia.

α . Laudatur in Bolo maximè cohaesio non diffluens, mollities, & mixtura aequabilis.

β . Hinc sicca (138. α .), aut liquida (γ .), sola non conveniunt: sed molle quid (β), glutinantis loco, intercedat oportet.

γ . Mollium etiam (138. β .) pleraque sicci accessu spissanda sunt, ut Bolum forment. Nonnulla tamen ex se sola sufficiunt: uti Conservae, Electaria & Rob spissiora &c. Igitur in Bolo simplice (62.) talibus opus.

δ . Ingredientia omnia ejusmodi sint, ut inter se misceri queant in compositum aequabile.

ϵ . Acrìa, odore vel sapore molesta, viscida, hic potius, quam in Pulvere (121.), locum habent; cum

cum magis tegi queant. Unde & mercurialibus drac-
ficis forma haec commodior.

ζ. Pingua, Balsama v. g. Unguenta potabilia;
saccharo, aliisque siccis intertritibus dividere expedit,
ut facilius ingeri solvique in ventriculo possint.

η. Sales alcalini fixi & volatiles, aliive cito lique-
scentes, in Bolos aliquamdiu conservandos haud re-
cipiantur: deliquio enim justa consistentia, exhala-
tione virtus, perit.

θ. Ideo nec inter se effervescentia, aut facile
fermentantia, huc quadrant, nisi cum ingestio prae-
parationem statim sequitur.

ι. Ingredientium numerus vix unquam ultra 3 vel
4 augeatur.

140. ORDO, in praescribendis ingredientibus hic
usitator, Excipiens (138. β.) determinatae quan-
tatis primo ponere loco jubet; dein Excipienda
Sicca (ibid. α.); post Liquida (ibid. γ.); tandem,
si quod accedit, Excipiens, cujus quantitas pharma-
copoeo relinquitur determinanda.

141. DOSIS (64.) Boli a drach. j. ad iß. vel ij.
usque extenditur, haud temerè ulterius augenda,
nisi cum specificè ponderosiora recipiuntur, aeger-
ve in adsumendo haud difficilis est. Imo vix drach-
mâ major sit, si ex levioribus conflatur. Unde,
ubi ingredientium dosis efficax hos limites excedit,
fatius est, massam in plures Bolos dispescere, quam
offa

offa grandiore praefocare aegrum. Compendium; uti Pulverem (113. *α.*), sic & vel magis etiam Bolum commendat. Nimiā hinc parvitate hic vix peccatur; licet ne scrupulum quidem superet Buccella.

142. QUANTITAS GENERALIS (64.) saepissimè unam saltem, aut duas, rarò plures, quam tres vel quatuor, doses (141.) complectitur, nisi cum prebrevibus intervallis capi debent. Quum enim a pharmacopoeo jam partitae exhibeantur; facile vel nimis siccescunt, vel deliquescunt, adservatae diutius. Qui ergo numerum dosium molemque (141.) inter se multiplicat, quantum simul praescribendum sit, novit.

143. PROPORTIO mutua ingredientium ex variā horum consistentia & efficacia determinatur. Confer (87. 125.). Unde haud eadem obtinet in omnibus:

α. Si Mollia (138. *β.* 139. *γ.*), ex se formando Bolo apta, sola recipiuntur, proportio invenitur ex singulorum dosi efficace (66.), dosisque Boli (141.), cognitis. Consistentia enim tum nihil limitat.

β. Ubi Sicca (138. *α.*) excipi debent, horum pro dosi drach. *ß*, scrup. *ij.* summum drach. *j.* capienda. Excipientium verò (138. *β.*) varia tum requiritur proportio, prout magis minusve spissa fuerint, aut siccorum volumen varium & natura magis minusve bibula.

Con-

Conservae, hunc in finem usitatissimae, Electa-
ria, Mel, Balsama spissa, & Unguenta, a scrup. ij.
ad drach. j. iß. sumuntur.

Rob, Pulvae, Confectiones molles, a drach. ß.
ad j. scrup. iv.

Syrupi, utpote liquidiores, a scrup. j. ad drach.
ß. vel j.

Scilicet, posita siccorum mole & natura eadem,
tanto exigitur ad ea subigenda minor excipientium
quantitas, quo haec sunt liquidiora.

γ. Hinc patet, ubi siccorum moles minor est,
excipientia spissiora adhiberi commodius; ubi vero
major, dilutiora: ne Boli dosis (141.) ultra mo-
dum augeatur.

δ. Quodsi prioribus (β.) etiam accedant liquida
(138. γ.), horum vix ultra gutt. j, ij, iij, sum-
mum iv, pro singulis Bolis recipitur. Tum vero
minuenda pro rata excipientium mollium proportio.

ε. Alias & siccis liquidisque quantitate determina-
ta (β. δ.) saltem praestitutis, excipientium mol-
lium quantitas arbitrio pharmacopoei relinquitur,
scribendo: q. s. (111. δ.). Quae tamen methodus
adhiberi nequit, si horum dosis efficax limitatio est.

ζ. Frequentissimè autem, si siccorum moles paul-
lò major est, aut excipiens primarium desideratur
spissius parcusque; ut ideo dubium sit, an sat mol-
licula inde Boli consistentia emergere queat; alius

secundarii, liquidioris, v. g. Syrupi, q. f. superad-
ditur.

¶ Contra, ubi nimia Boli praevidetur mollities (139. a.), Sacchari, Pulveris Glycyrrhizae, & simi-
lium adpropriatorum q. f. adjungi solet: quod qui-
dem maximè in Terebinthinaceis sinceris, &c. ob-
tinet.

144. SUBSCRIPTIO ita habet: *M. F. Bolus vel Boli No ij, iij, &c.* Quod ad *Divisionem*, eadem non-
nunquam hic cautela adhibetur, qualis circa Pulve-
res (128.), inde repetenda. Aliquando, ornatus
aut commodae ingestionis gratia, injungitur simul:
Auri folio, aut *Nebula obvolvatur*; aut *exhibeatur cum Nebula*. Confer. (129.). *Receptaculum* plerumque
est vasculum fictile porcellanum, aut charta: cujus
tamen commemoratione vix opus.

145. SIGNATURA ex dictis (130 ad 135.) fa-
cile intelligitur. Nebulam alii pro *Vehiculo* amant;
alii liquidum, quo Bolum prius dissolvant. Juvat &
liquorem idoneum dare superbibendum, si Boli tar-
dior aut difficilior in ventriculo metuitur dissolutio:
quod circa Terebinthinacea & similia maxime no-
tandum.

146. Usus est, qualis Pulverum (135.); minus
tamen frequens: haud enim adeo expedite semper
agunt Boli, ac quandoque requiritur (145.); ne-
que etiam palatis delicatioribus semper adrident.

Grati-

Gratificamur hac forma iis, qui varietate, aut Bolo magis, quam Pulvere, delectantur.

147. SPECIMINA haec sunt.

Bolus Emeticus pro Adulto.

℞. *Vitrioli alb.* gr. xxv.

Rob. Juniper. q. s.

M. F. Bolus. Detur cum nebula.

S. *Bolus Emeticus*, ex pauxillo *cerevisiae* aut infusi *Theae viridis* hauriendus: post quamlibet vomitionem superbibantur cyathi aliquot infusi ejusdem tepidi.

Bolus Purgans in Anxietate Febrili.

Vid. Boerh. Mat. Med. p. 124.

℞. *Electar. Diaprun.* Sylv. drach. iß.

Fol. Senn. pulv. scrup. j.

M. F. Bolus.

S. *Bolus purgans*, quo deglutito jusculum *Passularum* capiendum.

Boli Purgantes.

℞. *Conserv. Ros. pallid.* dr. ij.

Rhei elect. pulver. scrup. ij.

Resin. Falapp. gr. ix.

Syr. Cichor. c. rh. q. s.

M. F. Boli n^o. III.

S. Ut supra. Capiat quovis biberio unum, donec alvus solvatur.

Bolus Antihystericus.

℞. *Mithridat. Damocr.* drach. j.
Troch. de Myrrh. scrup. β.
Ol. Stillat. Succin. gutt. ij.

M. F. Bolus, Auri folio obducendus.

S. *Bolus Pacans cum Aquae Pulegii cyatho sumendus.*

Boli Febrifugi, iidemque & Gangraenae oppositi.

℞. *Cort. Peruvian.* opt. unc. j.
Cascarill. dr. ij.
Syr. e Ros. sicc. q. f.

M. F. Boli n^o. viii.

S. Ut supra. *Capiat aeger tempore ἀποπέρας quarta quaque hora unum ex haustulo vini.*

Boli Balsamici.

Vide Harris de Morb. Infant. Lib. II. Obf. II.

℞. *Terebinth. e Chio* drach. ij.
Pulv. Glycyrrhiz. q. f.

M. F. Boli n^o. ij.

S. *Boli Nervini, quorum alter mane, alter vesperi, ex vitello ovi recentis sumatur, superbibendo singulis Aquas Lact. Alexiter.* unc. ij.

Boli Sialogogi.

Vid. Boerh. Mat. Med. p. 251.

℞. *Conserv. Rosar. rubr.* drach. β.

Mer

Mercurii dulc. trit. gr. ix.

M. F. Bolus : cui similes duo alii, seorsim confecti, exhibeantur cum totidem Nebulis.

S. *Boli Aperientes, quorum unum singulis quadrihoris capiat aeger, corpore prius Ptisana adpropriata bene impleto.*

Boli Adstringentes.

℞. *Rob Cornor. drach. iij.*

Extract. Tormentill. drach. j.

Boli Armen. laevig. scrup. ij.

Lap. Haemat. ppt. drach. β.

Syr. Myrtin. q. s.

M. F. Boli n^o. iv.

S. *Boli Adstringentes. Capiat omni trihorio unum ex tantillo Vini rubri, austeriusculi.*

De

Electario.

148. **E**LECTARIUM, *Electuarium*, rarius *Mistura*, frequentius ab ingredientibus *Conditis Conditum*, ab *Opio Opiata*, dictum, est medicamentum internum, Bolo (137.) simile, paullo tamen mollius, & pluribus unâ dosibus, a pharmacopoeo non dividendis, praescriptum.

149. MATERIAM agnoscit eandem, quam Bolus (138.). Accedunt saltem *Conditurae*; utpote quae frequentius ad *Electaria* recipiuntur.